



QVÆSTIO I.

*An omne, quod advenit Enti in actu, sit accidens?*

THESIS I.



Vulgatum hoc est apud Philosophos: *Quod advenit Enti in actu, est ejus accidens.* Certum autem est, quod non sit intelligendum de accidente prædicamentali. Multa enim adveniunt rebus in actu, quæ accidentia prædicamentalia non sunt, sicuti pili accedunt homini existenti, qui tamen non accidentia, sed substantiæ sunt.

Accipiendum ergo est de accidente, quod vocant Prædicabile, & tam substantia quam accidens prædicamentale esse potest.

2. Cæterum Thomas part. 3. quest. 2. art. 6. ad 2. existimat, non esse universale, & idcirco adhibet quandam limitationem. Sic enim inquit: *Dicendum, quod illud, quod advenit post esse completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi; sicut in resurrectione corpus advenit animæ præexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumitur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam.*

3. Verum enimverò supervacanea & sine causa conficta hæc restrictio videtur esse. Quod enim aliquid adveniens alicui post esse trahatur ad communionem illius esse, non impedit, quo minus accidentaliter illi adveniat, sicut apparet de albedine, quæ adveniens quanto post ejus esse trahitur in communionem illius esse. Accipit enim ab eo esse extensum, siquidem extenditur ad extensionem quanti, & tamen albedinem accidens esse sive accidentaliter advenire quanto, nemo negabit, nisi qui in Logicis parum versatus.

A 2

4. Quod